

#116. Petrus Camper Sends many Greetings to the most Celebrated and most Noble Blumenbach [the problem of the tailed pipae].

"Celeberrimo ac nobilissimo D.D. Blumenbachio S.P.D. Petrus Camper." Commentationes societatis regiae scientiarum 9 (1789): 129-133. [Visser (1985): 67 and 161n150].

---

CELEBERRIMO AC NOBILISSIMO  
D. D. BLVMENBACHIO  
S. P. D.  
PETRVS CAMPER.

---

Mitto ad Te has, qualescunque, obseruationes, tanquam natus ex egregia Tua animaduersione circa caudatos pullos bufo-num americanorum, qui piparum nomine eos super dorsum incubitant. Gratus saepe recordor humanitatem summam qua me a. 1779 Gottingae excipere non dignatus fuisti, atque inter per multa alia Museum monstrasti Academiae Vestrae, rebus naturali-bus ditissimum, quarum cura Tibi optime merenti commissa est. Memini me eiusdem anni 13 Octobris non sine admiratione Tecum vidisse pipae americanae pullos vere caudatos, quorum primus mentionem fecisti in Manuali hist. naturalis, *Handbuch der Naturgeschichte* pag. 259. Domum redux, et piparum specimina, quae in museo meo conseruo, quantocyus examinans caudarum ne quidem vestigium in eorum pullis detegere potui! Quae tecum conspexeram igitur praeter naturam et paradoxa habui, et quidem magis ferio, quoniam hi pulli intra folliculos dorsi materni, ad perfectam vsque maturitatem morantes, nequaquam videbantur indigere cauda, instar gyrinorum ranarum, qui secus natare non modo non possent, sed sibi commissi, ac pedibus destituti alimento carerent necessario et morerentur protinus.

In memoriam revocare poteris me, dum spud Cl. Wrisbergiæ morabar, in plurimorum consortio demonstrasse analogiam inter animalia quadrupeda, vt et modificationes variaz, vsque dum *Comment. Phys. Tom. IX.* R in

in pisces transeunt; de industria tum egi de gyrinorum cauda evanescente, simul atque pedibus posticis natare queunt. Natatus ideo cum caudae necessitate mihi adeo videbatur coniunctus, vt ne dubitarem quidem de hac praecipua caudae vtilitate in gyrinis: neque solus hac in re errabam, antecesserat immortalis *Swammerdamius*, vt videre est in Bibl. nat. Tom. II. pag. 790 etc. Omnes, vt breuis sim rerum naturalium peritissimi in hanc inciderunt scyllam mecum, vobis etiam nisi fallor arridebat probabilis mea tunc temporis super hac re ratiocinatio.

Alte tamen inhaesit animo meo Tua de caudatis piparum pullis obseruatio! Captus amore adscriptae vtilitatis, casui fortuito adscripti stupendum hoc phaenomenon potius, quam regulari naturae ordini. Et quidem eo lubentius, quoniam examine generacionis piparum a. 1760 occupatus, pullos omnes sine caudis videram, et in ditissimis harum prouinciarum museis nullum specimen, nullum pullum pipae canda ornatum obseruaueram: carebant etiam pulli omnes piparum trium, quae in museo meo conseruantur. Earum insuper mentionem nullam fecerunt neque *Vincentius*, neque *Ruyfchius*; taceo *Sebam* et *Ferminum*, quanquam etiam hi ingenitum admirabilium horum animalium conspexerint numerum.

In Academico Museo Gottingensi evidentia reperiebantur exempla, quid ergo! de nouo res erat examinanda, agitur enim de vero. En quid contigerit deinceps!

Mense Aprilis anni 1781 Vltraiecti in ditissimo Museo Experi-  
fissimi D. *Iuliaens* de nouo videre mihi licuit in pipae Americanae  
dorso aliquot pullos distincte caudatos; et mense Iunio subsequente  
Harlemi clariss. et celeberrimum D. *van Marum*, sollerterem meum  
quondam auditorem, et amicum constantem adii, vt inter reliqua  
etiam piparum in acad. sc. museo seruatorum pullos curatius ex-  
aminarem. Res ipsa ob nouitatem acriorem attentionem exicitabat,  
nec

nec multum temporis labitur, quin inter aliquot specimina ipsi monstrarem pipam, in cuius dorso septem pulli, caudis longioribus, ex follicularum ostiis propullularent. Obiectum ipsum oculis armatis denuo contemplantes verissimum comperimus singulare hoc phaenomenon, quod Tu Vir Clarissime! primus obseruasti et publici iuris fecisti!

Videbatur Harlemensis pipa diutius seruata plus minus corrupta, antequam spiritui vini fuit submersa. Color eius erat pallidus, et cinereus <sup>a)</sup>, opercula follicularum soluta, lapsa, hinc caudarum apparitio manifesta, quae secus intra oua, et intra folliculos dorsi materni, satis curate operculo clausos, delitescunt. Misit ad me Clariss. van Marum, mense Iulio insequente quinque pullos eiusdem illius pipae candatos, quorum unus tantum erat integer; reliqui propter tenuissimas abdominalis tunicas ruptas, visceribus sine ulteriore detimento, carebant.

Examinaueram interea ex Hollandia redux de novo musei mei specimina attentius. In primo oua obseruaui; in alterius turgidissimo dorso, sublatis operculis, iamiam pullos penitus formatos, integerrimos, cum exigua marcescente cauda, quam, nisi Harlemi illud specimen egregium vidisse, nequaquam pro vera cauda salutare ausus fuisset. In tertiae pipae dorso pulli iamiam omnibus numeris erant absoluti; multi etiam elapsi in lagenae fundo collecti nullum caudae vestigium monstrabant.

De industria tandem 6 et 7 mensis Iulii pullos a cl. van Marum missos, etiam musei mei immatuos examinans, obseruaui quae ex adiunctis iconibus magis erunt conspicua et intelligibilia.

R 2

Fig. 1.

<sup>a)</sup> Acquisiti media aetate anni 1788 pipam Americanam feminam, eiusdem coloris, culus dorsum in-

meris cunctis pullis scatet: colore penitus simili.

Fig. 1. pullum integrum a latere sinistro, Fig. 2. a dextro delineatum exhibet. Cuius *a*, *c*, cauda. *a* et *b* pedum posteriorum rudimenta repraesentant. Pedes anteriores sub larua delitescunt. Conuenit hactenus egregie cum gyrino ranae a Cl. Swammerdamio Tab. XLVIII. fig. 13. pag. 829 delineato.

*d.* oris rictus maior quam in ranarum gyrrinis.

*b.* *d.* abdomen intestinis turgens.


Fig. 3. pullum abdomine vacuo, a dorso depingit.

Fig. 4. eundem auctum. Pedes posteriores *A. B.* iam magis conspicui, etiam caudae musculi *b. c.* et pinnae laterales *I. H.* et os *F.*

Fig. 5. pullum maturum fere magnitudine naturali proponit.

Fig. 6. eundem auctum, et caudae reliquias *a. b.* Deposita iam erat larua quemadmodum in reliquis omnibus, quorum color erat nigerrimus; caudae vero marcescentes erant albicantes, veluti retina in vituli oculo. Cohaerebat cauda fortiter cum cecygis extremo, nam licet saepius susque deque mouerem, non abrumpebatur.

Fig. 7. alterius pulli nates et caudam magis contractam *a. b.* ob oculos ponit.



*Commentation. Vol. VIII*

*Hamer f. Lancum  
Aug 1784*